

*Fasti Ostienses*. Edendos illustrandos restituendos curavit *Ladislav Vidman*. Academia Scientiarum Bohemoslovaciae, Pragae 1982. 159 p. Kčs 70.—

Viri docti maximam gratiam Ladislav Vidman habebunt ut qui *Fastos Ostienses* denuo edendos curaverit; nam post primam horum fastorum editionem, quae a. 1957 prodiit, reperta sunt multa nova fragmenta, quae omnia nunc collecta et commentariis instructa veteribusque (i.e. iam antea notis) horum fastorum fragmentis addita invenimus. Neque hoc praetermittendum est, post a. 1957 multos novos titulos repertos esse ad hos fastos illustrandos pertinentes et multa a viris doctis de his fastis et viris rebusque in iis memoratis scripta esse, ita ut commentarius multis locis partim aliquantum mutandus partim omnino rescribendus esset. Ita facile intellegas cur e prima editione in hac nova, ut ipsis scriptoris verbis utar, "non relinquatur lapis super lapidem" (p. 6).

Continentur hoc libro: (1) fragmentorum synopsis, ex qua facile videas, non solum quales fuerint hi fasti temporibus antiquis, sed etiam quantum ex iis hodie exstet. — (2) Editio (additis imaginibus photographis) omnium fragmentorum ad hunc diem repertorum, etiam eorum, quae nondum publici iuris facta sunt. — (3) Commentarius ad hos fastos illustrandos conscriptus, in quo miram doctrinam inesse nemo erit quin videat. Commentarius scriptus est docta, ut ita dicam, brevitate, ita ut quae ad fastos explicandos pertinerent, diligenter tractarentur, minus necessaria autem (quae a rebus maioris momenti secernere difficillimum est) omittentur. Composuit scriptor hunc commentarium, ut par est, magis in usum historicorum quam linguae Latinae studiosorum; neque tamen desunt observationes ad linguae Latinae usum spectantes (memorabilis est in his fastis e.g. apicum usus, qui usque ad annum p.Ch.r.n. 127 vixit; quibus enim passim etiam vocales correptae notantur, e.g. a.20 p.Ch.r.n. Valerius, a.105 Licinius, a.108 Braduá nominat., Próculus, a.109 Procúlus, a.112 [ord]íni, a.127 Ítaliám). — (4) Indices tam nominum propriorum quam rerum notitia dignorum. Omnia diligentissime et accuratissime confecta sunt; ita facile dixeris hunc librum maximis laudibus dignum esse. Laudanda etiam linguae Latinae, qua scriptor usus est, elegantia.

Haec mihi de singulis libri locis, quibus menda quaedam inesse mihi persuasi, dicere licebit. P.45 (a.p.Ch.r.n. 97): L. (non M.; sic etiam in indice p. 156) Verginius Rufus III. — P. 58: Nero (non Nerva) et Drusus. — P. 66 "hic (A. Vitellius cos.suff. a.32) quoque cognomine caret (vide ad a.48 a.C., v.3)". At Vitellius hic cognomine hoc loco caret non propterea, quod in his fastis cognomina consulum aliquotiens vetusto quodam more omittuntur, sed potius quia cognomen omnino non habuit. — P. 83: indicatio anni (p.Ch.r.n. 92) desideratur. — ibid. (agitur de Q. Iunio Aruleno Rustico consule a.92, in his fastis Q. Aru[*lenus Rusticus*] appellato): "memoratu dignum videtur praenomen ante cognomen positum nomine gentili omisso". At Arulenus non est cognomen, sed nomen gentile eiusmodi ut Aufilenus Poppalenus Sariolenus Trebellenus Vettulenus et sim. — P. 84: Ser. (non Sex.) Iulius Servianus. — P. 137 (agitur de C. Censorio Nigro eiusque fortasse filio M. Censorio Paulo consule a.160) "obstat (quominus hos patrem et

filium putemus) solum praenomen et cognomen diversum". Mihi quidem hoc non ita multum videtur obstare. Nam e.g. L. Septimius Severus, qui annis 193—211 imperavit, patrem habuit P. Septimium Getam (vide e.g. IRT 414) et fratrem cognominem patris, consulem a.203; M. Aufidius Fronto cos. a.199 filius fuit C. Aufidi Victorini cos. II a.183 et frater viri eiusdem nominis, consulis a.200. Saeculo II (et etiam saec. III incipiente) fratres duo vel plures saepissime eodem nomine gentili, at diversis praenominibus et cognominibus praediti erant (cf. Septimios et Aufidios supra memoratos et e.g. M. Cornelium Frontonem notum illum oratorem eiusque fratrem Q. Cornelium Quadratum, consules a.143 et 147, et Q. Aiacium Censorinum Celsinum Arabianum et L. Aiacium Modestum Aurelianum Priscum Agricolam Salvianum, filios consulis II a.228, AE 1968, 518.522—3); ita, cum plerumque unus ex filiis tam praenomen quam cognomen patris acciperet, saepe fiebat, ut alter ex filiis diversum a patre praenomen et cognomen haberet. Ergo, si M. Censorius Paullus filius fuit C. Censori Nigri, inde verisimiliter colligendum est Censorium Nigrum duos minimum filios habuisse, quorum alter, alioquin ignotus, praenomen et cognomen patris habuit.

*Olli Salomies*

*Inscriptions antiques du Maroc 2: Inscriptions latines. Recueillies et préparées par Maurice Euzennat et Jean Marion, publiées par Jacques Gascou avec le concours de Y. de Kisch. Éditions du CNRS, Paris 1982. 468 p. Fr. 430.—.*

Von der Sammlung lateinischer Inschriften von Marokko durch L. Chatelain erschien nur der erste Faszikel (1942), der keine Indices enthielt. Seitdem ist nichts erschienen. Somit ist sehr zu begrüßen, dass die lateinischen Inschriften Marokkos jetzt gesammelt in einem Band vorliegen, der mit allen notwendigen Indices versehen ist. Die Sammlung enthält insgesamt 842 Inschriften (viele mit Photos), darunter viele bedeutende; erwähnt sei die bekannte *tabula Banasitana* (hier Nr. 94). Mehr als die Hälfte aller Inschriften stammt aus Volubilis, einer Stadt mit einer reichhaltigen und in vieler Hinsicht interessanten epigraphischen Überlieferung. Im Grossen und Ganzen darf diese Arbeit als gelungen und die Forschung fördernd bezeichnet werden, und somit ist die Fachwelt den Herausgebern zu einem grossen Dank verpflichtet. Auf eine Schwäche dieser Sammlung sei hier jedoch hingewiesen. Wie aus dem Titelblatt hervorgeht, sind die Inschriften "recueillies et préparées" von M. Euzennat und J. Marion. Dies bedeutet nun, dass der eigentliche Herausgeber J. Gascou — wie man aus zahlreichen Bemerkungen entnehmen kann — die Inschriften gewöhnlich nur aus Photos kannte. Somit kann die Lesung einiger schwierigen Texte etwas unsicher sein, da Gascou die nicht immer ganz zutreffenden Lesungen seiner Vorgänger wohl meistens nicht durch Autopsie kontrollieren konnte. — Nicht völlig befriedigend finde ich den Gebrauch der kritischen Zeichen in der Transkription. Wenig ansprechend ist m.E. besonders die Praxis des Herausgebers, nicht nur Ergänzungen, sondern auch Änderungen und